

Institutiones psychologicae

secundum principia s. Thomae Aquinatis. Ad usum scholasticum accomodavit Tilmannus Pesch S. J. Pars I. Psychologiae naturalis liber prior, qui est analyticus. Liber alter, qui est syntheticus. (Pag. XV. + 470. — XIV. + 421.)
— Pars II. Psychologia anthropologica. (Pag. XVIII. + 551.)

Consideranti diligentius evolutionem atque progressum, quem novissimis temporibus fecerunt doctrinae philosophicae, tria praecipue stadia in oculos incurrunt, ad quae decursu temporis pervenerunt rivuli laboris philosophici. Primo problemata ex noëtica occupabant ingenia philosophorum. His subsecutae sunt quaestiones ethicae, quae iam propter suam naturam et valorem practicum excitabant vivam attentionem etiam eorum, qui ceteroquin influxum severioris aerae philosophicae tantummodo cunctanter subeunt. Stadium ultimum hac in evolutione est praevalens aestimatio psychologiae, quae tam alacri studio ubique gaudet, ut paene omnis labor philosophicus in solas disquisitiones psychologicae pededentim defluere videatur.

Talibus cum cogitationibus aspiciamus tria volumina Institutionum psychologicarum, quae elucubravit doctissimus Societatis Jesu sacerdos, P. Tilmannus Pesch. Eruditio, sanum et prudens ubique iudicium atque summa diligentia aegrotantis nunc, ut audimus, auctoris, prout sufficienter sunt notae ex aliis eius operibus philosophicis, ita nec in praesentis psychologiae partibus et his quidem difficillimis et delicatissimis desiderantur. Gaudere igitur possunt ex eius editione omnes, qui profundiores in materiis psychologicis cognitionem ex quacunque ratione quaerere sunt coacti.

Voluminosum hoc de psychologia opus premit vestigia Angeli scholae, »secundum principia S. Thomae Aquinatis ad usum scholasticum accomodatum est« a suo auctore, ex hac sola igitur iam causa, scilicet ut grave documentum certae et historice valde momentuosae persuasionis dignum est diligenti attentione omnium, qui progressum scientiae philosophicae sincero animo persequuntur. Qui singulas operis partes earumque numerosas quaestiones profundius penetrare studebit, haud pauca fortasse inveniet, quae cum personali eius opinione et persuasione totaliter componi nequeunt, hoc autem in studiorum regionibus eventus est prorsus naturalis et minime in psychologia, ubi, stricte loquendo, unica fere excepta sententia (de associatione idearum) communior opinionum concordia frustra quaeratur, obiectum admirationis esse potest.

Si licebit propriam de quibusdam opinionem modeste proferre, arbitramur, partes, quae theses ex anatomia et physiologia pertractant (I. Pars prior: Psychologia naturalis et physica, pag. 43. et sq.), valde odiosas fieri posse lectori. In hisce enim scientiis, in quibus ultimis demum temporibus uberiori cum successu est laboratum, linquam latinam bonum scientiae interpretem appellare vix aliquis audebit. Immensa multitudo terminorum, quos etiam in materia hac bene versatus vix penitus intelliget, quoad studiosos iuniores nullius prorsus existit pretii. Etiam res ipsa, materia, ut aiunt, scientifica, in quantum hic representare vult opiniones antiquorum, pretium habet tantum historicum. Bene ad hoc commemoravit ipse auctor: »Non sine utilitate est, ut cognoscamus, quatenus veteres de his rebus sunt opinati. — Has igitur opiniones veterum saepius adducturi sumus non ut ex iis discamus, quid natura rerum in viventibus habeat, sed propter solam notitiam historicam.« (I. pag. 67.)

Prorsus alio modo utique erit iudicandum de partibus proprie philosophicis! Hic revera manu apprehendere possumus excellentes illas proprietates, quibus scholastica incomparabiliter superat varia systemata philosophiae modernae: sana hominis ratio cum omnibus suis iuribus atque experientia cum universali suo valore copulantur hic optimo cum successu ad sublimem finem gravissimi laboris intellectualis. Propria verba diversorum auctorum, quas auctor noster nusquam adducere ommittit, efformant apud prudentem lectorem commode desideratam in

propria causa claritatem et revera mox conciliabitur quisque cum scribendi ratione doctissimi Patris Pesch.

Quod tandem attinet dispositionem totius operis, quam proposuit sibi auctor in I. volumine pro psychologia sua, dividitur haec in psychologiam generalem et psychologiam specialem. Pars prior continet theses concernentes omnes omnino animas (hominum, animalium, plantarum), in parte altera perlustrantur »functiones illae, quae speciali ratione sunt hominis,« quamobrem appellata est haec altera pars psychologia anthropologica, vel brevius anthropologia. Sed sub nomine anthropologiae intelligitur plerumque et recte summa totius doctrinae de homine, consequenter igitur etiam hoc, quod proponitur de eo in »psychologia physica«. Alia ergo denominatio, quae certe immerito displicet doctiss. Pesch, psychologia videlicet metaphysica, magis conveniret argumento III. voluminis praesentium Institutionum psychologicarum.

Alius fortasse alia adhuc et plura inveniret in toto opere, quae specialiori expositione et emendatione digna putaret, — nos consulto absolvimus hic seriem opinionumstrarum; tantummodo de novo commendamus praesens opus de psychologia benevolo lectori. Expositio uberius pro peritis et rei plus minusve gnaris esset superflua, ignaris autem vel incipientibus in dimensione, quae destinata est verbis istis, profecto paulum prodesset. Si autem resumi debeant cogitationes et opiniones nostrae inter lectionem argumentosi operis emersae, tunc absolvimus materiam nostram audacter verbis: Cui ad profundius psychologiae studium non superest otium, qui tamen v. g. ratione officii sui aliqua et haec fortassis uberius atque prorsus certa indigeat ex psychologia cognitione, fiducialiter haurire potest desideratam notitiam ex Institutionibus P. Pesch. Praebebunt se illi revera magistrum bonum in omni casu.

Formam exteriorem appellare licet pulchram, prout communiter assueti sumus apud libros et typografia Herderiana. Index alphabeticus, volumini III. appositus, facilem reddit inventionem rei in momento necessariae simulque lectorem adjuvat, ut ingentem materiam argumentosi operis perspicere et celeriori visu penetrare possit. Qui serio ponderare sciunt valorem et gravitatem operis scientifici, certe intimas grates ex animo proferrent doctissimo auctori, qui opus elaboravit et ex omni parte sufficiens et ipsum edidit ratione temporis — tempore revera valde opportuno.

Raihradii.

P. Pl. B., O. S. B.

Kalenderschau für 1899.

I.

Wie es alljährlich gegen Ende September vorzukommen pflegt, so ist uns auch heuer eine stattliche Reihe neuer Kalender für 1899 zugeschiedt worden. Von der Absicht ausgehend, unseren Lesern die Auswahl beim Ankaufe eines Kalenders, dieses unentbehrlichen Familienfreundes zu erleichtern, wollen wir die bez. Einläufe hier einzeln anführen und kurz beschreiben.

1. In dem bestens bekannten Verlage von L. Auer in Donauwörth erschien eine ganze Reihe neuer Kalender und zwar: a) **Der Taschenkalender für die studierende Jugend.** Redigiert von Franz Vogt. 21. Jahrgang. 1899. Preis: in Lederimitation geb. 40 Pf. Derselbe bleibt auch in diesem seinen neuen Jahrgang seinem seit 20 Jahren bewährten Programm vollauf getreu. Die Notizblätter enthalten am Rande das Lavater'sche Alphabet für die Jugend, das verbunden mit dem am Anfang des beherrschenden Theils des Kalenders stehenden »Alphabeta aureum« und andern Randsprüchen ein beherzigenswertes, gesundes Lebensprogramm für die jungen Musensöhne bildet. Eine anziehende, gemüthvolle Plauderei von dem österreichischen Volksschriftsteller Wichner behandelt eine der